

conuenit uocibus: sed ex hoc non sequitur, quod Logicus per se primo de uocibus agat. De æquiuoco uero hic determinat: quia opponitur uniuoco: uel quia æquiuocum æquiuocatum est conceptus; saltem quo ad significari.

Ad tertium, & quartum de ly, dicuntur; & de ly: sunt; dicit, quod, dicuntur, sumitur pro concipiuntur: & sunt, pro esse secundum rationem.

Ad quintum, & sextum patet ex solutione ad secundum, nam esse incomplexum, & significare formaliter, conueniunt conceptibus.

Ad ultimum inquit, quod Logica agit per se de conceptibus rationis. Reliqua patent: & ex dicendis magis patebunt.

## QVÆST. II.

*Utrum iste liber sit de decem Prædicamentis, ut de subiecto?*



**V**ERITUR: utrum iste liber sit de decem Prædicamentis; ut de subiecto? Quod nō uidetur: quia scire est rem per causam cognoscere, per Arist.

*Text. 5.*

primo Postter. ergo omne scibile habet causam: sed ista decem non habent causam: ergo de eis non est scientia. Probatio minoris: quia causa naturaliter prius est illo, cuius est causa: sed istis nihil naturaliter est prius: cum sint prima.

Item, unius scientiæ est unum subiectum: ista decem non sunt unum subiectum: quia nec unum diffinibile: cum ergo hæc scientia sit una; non erit de istis decem; ut de subiecto.

*Text. com. 38.*

Item, de istis est scientia realis: non ergo Logica. Consequentia patet, per Aristot. tertio de Anima: scientiæ secantur, ut res: sed Logica est diuersa ab omni scientia reali: ergo subiectum eius à subiecto cuiuslibet scientiæ realis est diuersum. Probatio antecedentis: tum quia

*Text. com. 14. & inde*

de istis determinat Metaphysicus: ut patet quinto, & septimo Metaphysic. tum quia ista sunt res primæ intentionis: probo: quia impossibile est, aliquid secundæ intentionis prædicari per se de re primæ intentionis: sed ista decem genera generalissima prædicantur per se de rebus primæ intentionis: est enim hæc uera

per se: homo est substantia: ergo ista sunt primæ intentiones: ergo omnis scientia de istis est scientia realis.

Ad oppositum est Aristotel. determinans hic de decem generalissimis. Intitulatur similiter liber Prædicamentorum.

Ad quæstionem dicitur, quod Prædicamenta dupliciter possunt considerari: uno modo in quantum sunt entia: alio modo in quantum considerantur à ratione, siue in quantum aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur: primo modo de eis considerat Metaphysicus: subiectum enim eius est ens, in quantum ens: secundo modo hic de eis consideratur: ostenduntur enim de eis passionibus sibi inhaerentes; in quantum sunt generalissima: ut de Substantia uniuocè prædicari; & non esse in subiecto, & uideri hoc aliquid significare. Similiter de alijs generibus determinatur secundum talem rationem: quia in quantum talia; in suas diuiduntur species: & illæ ulterius in alias: & nihil est super ea, quod descendit in illa per diuisionem: patet enim istis, in quantum sunt generalissima, inesse has passionibus: scilicet, diuidi in species: & multas habere species subalternas: & non habere genus supraueniens: quare tales proprietates determinantur hic. Si uero de aliquibus alijs, quæ istis generalissimis in sunt, in quantum sunt entia, hic determinatur: hoc non est principale ad propositum: sed ad maiorem manifestationem istorum, quantum ad prædicta intentionalia. Sed cum ista decem non sint unum subiectum unius scientiæ realis, scilicet, Metaphysicæ: nisi in quantum est in istis unum primum, ad quod omnia alia attribuuntur: ut habetur quarto Metaphysic. sed in quantum à ratione considerantur: nullum est, ad quod attribuuntur: quomodo sunt unum subiectum? Et oportet dicere: quod maior est unitas eorum in aliqua proprietate ab intellectu causata, quam in quantum sunt entia: & ita cum hæc scientia non sit una unitate Analogiæ: oportet assignare aliquod intentionale, quod sit istis commune, & primum subiectum: quia de solo tali per se considerat Logicus. Illud autem à quibusdam ponitur ens incomplexum, dicibile, ordinabile, in genere. Omnibus concessis prius narratis in positione.

*Text. com. 1. & inde.*

Con-

Contra hoc ultimum potest argui sic: ens non conuenit uniuocè omni enti extra animam: ergo multo magis non est uniuocum enti extra animam, & entia à consideratione intellectus causato: quia illa plus differunt: ergo uel hic accipitur ens pro ente extra animam; uel pro ente rationis: si primo modo sequentur duo inconuenientia: scilicet, quod subiectum, quod ponitur, non sit uniuocum decem Prædicamentis, quæ hic considerantur; cuius oppositum sustinere intendit. Secundum, quod subiectum hic sit ens per accidens: quia compositum ex re primæ intentionis, & re secundæ; quæ non faciunt unum per se. De ente autem per accidens non est scientia, per Aristotelem 6. Metaph. Si uero pro ente rationis; sequitur, quod est nugatio: quia alia addita includunt ens sic sumptum: & ita est nugatio.

*Text. com.*

*4. & inde.*

*4. & inde.*

Item, aut dicibile intelligitur pro significabili per sermonem: & ostensum est in solutione quætionis præcedentis illud accidere subiecto huius libri: aut dicibile sumitur pro prædicabili: & tunc addendo incomplexum, fit nugatio: & iterum fit nugatio addendo ordinabile in genere. Probatio primi: quia propositum non prædicatur: nec aliquid complexum, in quantum complexum. Probatio secundi: prædicabile includit ordinabile in genere; uel e conuerso: quia ex hoc quod aliquid est prædicabile: ut hic Aristot. loquitur; ordinatur ad aliud secundum sub, uel supra.

Ad hoc ultimum dicitur, quod individua in genere sunt ordinabilia; non tamen prædicabilia: & generalissima dicuntur prædicabilia; non tamen in genere ordinabilia: idè neutrum istorum reliquum includit.

Contra: tunc ens ordinabile, &c. non conuenit generalissimis, de quibus tamen maxime hic agitur: ergo illud non est subiectum. Si ponitur pro subiecto tantum ens incomplexum; uel tantum ens dicibile; uel tantum ens in genere ordinabile?

Contra quodlibet est prima rationum factarum contra priorem positionem; & contra primam positionem simul, & contra omnes istas tres: quia quidquid istorum ponatur subiectum, illud excedit omnia decem Prædicamenta: quod uidetur inconueniens. Si etiam ponatur tan-

tum prædicabile; illud, idem est, quod uniuersale: ergo idem est subiectum huius libri, & Porphyrii: quod est inconueniens, & excedit decem Prædicamenta.

Ideo dici potest: quod hic consideratur de decem Prædicamentis: in quantum aliquid à ratione causatum eis attribuitur: quia aliter non possunt à Logico considerari: & illo modo non habent tantum unitatem Analogiæ; sed etiam uniuocationis: & illud uniuocum istis illo modo est aliquid intentionale, quod est hic primum subiectum: & illud potest nominari Prædicamentum, uel generalissimum: quia omnes proprietates, quæ per se de istis determinantur hic, determinantur de eis, in quantum habent rationem generalissimam, uel Prædicamenti.

Contra: tunc determinaretur hic de substantia, quantitate, &c. tantum per accidens: quia tantummodo secundum quod aliquid inest eis per accidens: scilicet, secundum aliquod intentionale: quia nullum tale potest eis inesse per se.

Item, nulla passio est hic ostensa de Prædicamento, uel generalissimo, secundum suam rationem: ergo illud non est subiectum.

Item, subiectum hic non conuenit omni conceptui formato à primo actu rationis: sicut subiectum libri Perihermeneias conuenit omni conceptui formato à secundo actu rationis: quod uidetur inconueniens: quia similiter uidetur iste liber esse de conceptu simplici incomplexo, sicut ille de complexo.

Item, cum generalissimum, uel Prædicamentum, sub uniuersali contineatur; sequitur hanc scientiam libro Porphyrii subalternari: quia sicut subiectum ad subiectum: ita scientia ad scientiam: sed illud uidetur inconueniens.

Ad primum illorum dico: quod non est inconueniens, illa tantum per accidens à Logico considerari, quæ Metaphysicus per se considerat.

Ad secundum dico, quod in quantum aliquid intentionale uniuocum hic demonstratur de substantia, & quantitate, in quantum habent rationem generalissimorum: in tantum illud ostenditur de Prædicamento, siue generalissimo, primo: ut diuidi in species, non habere ge-

mus

nus supraueniens: & vniuocè prædicari, quod ostenditur de substantia, & supponitur cognitum de alijs: in hoc enim quod aliquid vniuocè ostenditur de multis subiectis non primis, in hoc ostenditur de primo subiecto.

Ad tertium potest dici, quod sicut enuntiatio est primum subiectum libri Perihermias, quæ non dicitur formali prædicatione de omni conceptu formato à secundo actu rationis: sed alia reducuntur ad ipsum: vt oratio imperatiua: sic omnis conceptus simplex reducitur ad aliquod Prædicamentorum.

Ad quartum potest dici, quod licet subiectum sit sub subiecto: non tamen hæc scientia sumit sua principia ex illa: & idè alterum deest, quod requiritur ad subalternationem scientiarum.

Ad primum argumentum principale dico: quod licet illorum in se non sit causa aliqua: tamen respectu suarum passionum habent causam: præcipue respectu passionum intentionalium, quæ in sunt eis, in quantum à ratione considerantur. Et cum dicitur: istis nihil est naturaliter prius: verum est in se: tamen ratione inhaerentia passionis intentionalis potest naturaliter eis aliquid esse prius.

Ad secundum patet, quod primum subiectum hinc est aliquid vniuocum istis decem, vt Prædicamentum.

Ad tertium patet: quia quæ Metaphysicus per se considerat, hic per accidens considerantur: quia hic per se consideratur aliquid intentionale applicabile eis, quæ Metaphysicus per se considerat.

### Summa textus, simul & explicatio.

**H**ABITO contra Nomales, voces significatiuas non esse hic obiectum adæquatam; nec per se ad tale obiectum pertinere: hunc in hac secunda quaestione cum realibus discutit; an, scilicet, iste liber sit de decem Prædicamentis; vt de subiecto? Et quia ex secunda suppositione, Prædicamentum sit quædam coordinatio prædicatorum essentialium; & talis sit vel realis, vel rationis: inde fit; quod de Prædicamentis in vtroque sensu procedat quaestio: & tunc an sint obiectum huius libri, quatenus decem sunt; vel quatenus in aliquo vno conueniunt, à cuius vnitæ hæc scientia vna dicatur. Itaque sensus quaestiones est: an iste liber sit de decem Prædicamentis, prout sunt entia rea-

lia, vel prout sunt entia rationis: & an sit de illis, prout decem sunt; vel prout in aliquo vno conueniunt?

Doctor tria conficit argumenta, quibus probare intendit de Prædicamentis non dari posse scientiam: & si detur non erit Logica, sed Metaphysica. Primum probat duo priora argumenta videlicet, quia decem prædicamenta non habent causam priorem se, per quam eorum passiones demonstrantur: nec etiam sunt aliquod vnum, vt scientia de eis dicatur vna.

Secundo vero probat tertium argumentum: quia diuersitas scientiarum sumitur à diuersitate obiectorum: sed de istis decem Prædicamentis agit Metaphysica: ergo non Logica.

Sed his non obstantibus pro decisione quaestiones ex communi omnium doctrina aduertit Prædicamenta dupliciter considerari posse: vel in quantum sunt entia realia: vel in quantum in esse cognito considerata Logicas intentiones fundant: quo notabili præmissio.

Dicit primo. Decem Prædicamenta, prout sunt entia realia, cadunt sub Metaphysici consideratione: hæc patet: quia obiectum Metaphysicæ est ens, in quantum ens: & idè quidquid, in quantum ens consideratur, sub Metaphysici consideratione cadit.

Secundo dicit. Decem Prædicamenta, quatenus entia rationis sunt, & in concreto sumpta, sunt de Logici consideratione: hanc statuit Doctor contra Commentatorem, & Eustratum, Caietanum, & alios, in hoc cap. afferentes res ipsas esse hic obiectum: eamque probat: nam de substantia, vt generalissimum est, & ens rationis, ostenduntur, vniuocè prædicari: & nõ esse in subiecto: & videri hoc aliquid significare: quæ omnia sunt eius passiones: & similiter de alijs generibus dicatur: determinatur enim de illis, prout generalissima sunt: nam illis, in quantum talia, conuenit diuidi in species; nõ habere superius, & alia huiusmodi; quæ sicut sunt entia rationis, ita hæc decem Prædicamenta, tanquam entia rationis supponunt. Et si quid aliud hic agatur conueniens illis, quatenus entia realia sunt, est in ordine ad prædicta intentionalia eis ab intellectu attributa.

Circa illud verò an sit aliquod vnum his decem generibus commune: Refert opinionem aliquorum affirmatiue respondentium, dicentiumque, illud commune esse ens incomplexum, dicibile, & ordinabile, in genere: & quæuis in responsione cum illis conueniat; differt tamen ab illis in assignatione talis communis, cuius improbatio patet in textu.

Idè tertio dicit: primum, & adæquatè, subiectum huius libri est illud intentionale, in quo decem Prædicamenta conueniunt; quod Prædicamentum, seu generalissimum dici potest. Itaque ab omnibus decem generalissimis secunde intentionaliter sumptis, abstrahitur quoddam commune, quod generalissimum dicitur, dicens pro formali secundam intentionem simplicem, & incomplexam, & pro materiali decem genera summa rebus applicabilia. Hanc conclusionem sic explicatam probat: quia omnes proprietates, quæ per se de istis determinantur hic, determinantur

1. Conclus.

2. Conclus.

3. Conclus.

nantur de eis, in quantum habent rationem generalissimam, vel Prædicamentum: ergo Prædicamentum est huius libri obiectum.

Contra hanc conclusionem obiicit quadruplitem: quarum obiectionum, simul & argumentorum principalium, solutiones claræ sunt in textu: & ita non est, cur in illis referendis immoremur.

### QVÆST. III.

An aliquid istis generalissimis sit vniuocum?



**VERITUR**, de supposito in dicta solutione: scilicet, an aliquid istis generalissimis sit vniuocum? Et primo quaeritur, an aliquid prædicatum intentionale sit istis vniuocum? Quod non, videtur: quia si sic: tunc illud esset prius, & communius istis: & ita hæc non essent generalissima, & prima genera: quod est contra Boetium.

Item, si aliquid esset eis vniuocum, cum sint diuersa inter se, essent aliquid idem entia: ergo differentia: consequentia patet per definitionem differentium quinto Metaph. positam. Consequentis est falsum: quia Prædicamenta sunt secundum se diuersa, & non inter se differentia: quia tunc essent species.

Item, intentio causatur à re: igitur vnitatis intentionis ab vnitæ rei: sed nulla res vniuocè conuenit istis: ergo nec aliqua intentio. Prima propositio patet: quod enim est in intellectu, & non est à re, est signum: cuiusmodi non est aliqua intentio.

Item, nullum vniuocum est denominatum: sed Prædicamentum intentionale tantum denominatiue dicitur de istis decem, quæ sunt res primæ intentionis: ergo nullum Prædicamentum intentionale est istis vniuocum. Probatio maioris: tum quia vniuocum distinguitur hic contra denominatum: sicut contra æquiuocum. Tum quia inferius dicit Aristot. capitulo de substantia: quod quædam prædicantur secundum nomen, &

non secundum illius nominis rationem: puta concreta, siue denominatiua, exemplificando de albo.

Ad oppositum: aliquid intentionale dicitur de istis decem secundum nomen, & eandem rationem: ergo vniuocè: consequentia patet per definitionem vniuocorum. Probatio antecedentis: quia substantia est genus: quantitas est genus.

Item, substantia prædicatur de pluribus specie differentibus in quid: & quantitas similiter: quare genus de istis secundum nomen, & definitionem prædicatur. Ita potest argui de multis intentionibus inhaerentibus istis, & sub eis contentis, vt species homini, & albedini.

Item, sola diuersitas in materia accidentali non diuersificat illud, cuius est, specie: quia differentia specifica est differentia formalis: sed intentio applicata rei vnius generis, & alterius, tantum habet differentiam penes materiam per accidens: ergo non differt specie ex hoc, quod inest istis; ergo nec tollitur propter illud vniuocatio: quia quod non tollit vnitatem secundum speciem, non tollit vniuocationem. Prima propositio patet: quia circulus aureus, & circulus, æneus, non differunt specie: & ratione patet: quia talis differentia cum eo, cui additur, non facit, nisi ens per accidens, quod non est natum esse species generis: minor patet: quia nulla intentio inest rei primæ intentionis per se, vt ostensum est prius: sed est sola diuersitas hic, & ibi, penes res primæ intentionis: ergo tantum penes materiam accidentalem.

Ad quaestionem dicendum: quod aliquid intentionale vniuocum potest applicari rebus omnium generum: quia diuersitas in rebus primæ intentionis inter se non impedit ipsas ab intellectu posse concipi per eundem modum concipiendi. Intentiones autem omnes eis attribuuntur, in quantum ab intellectu concipiuntur: & idè intentiones eadè specie possunt diuersis rebus attribui.

Ad primum argumentum dici potest, quod sunt prima, & communissima rerum genera: non intentionum.

Ad secundum similiter dico, quod non sunt differentia: quia non sunt aliquid idem entia: id est aliqua res.

Vel aliter ad vtrumque, quod licet sint com-

Hic in comment. & supra per Porph.

Iuxta principium.